

Q. 524, 13.

Q. D. B. V. B. m. II 472.

DISSERTATIO IN AVGVRAI
PHILOSOPHICA
DE

II c
528

PAEDANTISMO DIDACTICO
PYTHAGORAE
RATIONE SILENTII .

QVAM
EX DECRETO
AMPLISSIMI

PHILOSOPHORVM ORDINIS
MODERATORE

IO. DAVIDE KOELERO

LOG. ET POLIT. P. P. ET VNIVERSITATIS
BIBLIOTHECARIO

PRAECEPTORE SVO MAXIMOPERE VENERANDO
PRO

SVMMS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS

D. XXV. JUN. ANNO MDCCXIV.

PVBLICE DEFENDET

GEORG. FRIDERICVS DEINLINVS

ALTORFINVS.

ALTORFII

EX TYPOGRAPHEO MAGNI DANIELIS MEYERL

BIBLIOTHECA
POWICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Q. D. A. N.
DISEPTATIO INAVGVRAIS
PHILOSOPHICA

PAEDAGOGICA
CITIO PYTHAGORAE
RATIONE SILENTII

PHILOSOPHORVM ORDINIS
IO. DAVIDE KOLLERO
LOC. ET BOEN. P. P. ET UNIVERSITATIS
PRINCIPALIS BRNO MAXIMILIANAE CAROLINAE

BYRNIS IN PHIL. OPHIA HONORIBVS
THE CONSERVANDVS
D. XCV. ANNO MDCCLXV.
FABRICII BREVIT.
GEORG. FRIEDRICHVS DEMMLINGVS
AUCTOR



EX THEOPHANO...
T. H. P. U.
M. D. C. C. L. X. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOSOPHICA
 DE
 PAEDANTISMO DIDACTICO
 PYTHAGORAE RATIONE
 SILENTII.

PRAEFATIO.



I quae unquam disciplina Philosophica & magistri, ut videbatur, summa sapientia, virtute, auctoritate, eximisque institutis, & discipulorum frequentia, obsequentia, continentiaque per orbem literarium inclauit, ea certe fuit disciplina Pythagorica, quae tanto applausu tam a gentilibus quam a christianis doctoribus fuit excepta, ut omnes Pythagoram, ut ἀειγιὸν ἢ μέγαν τῆς Ἰωνίας Φιλοσόφου suspexerint & admirati sint, omniaque ejus instituta & disciplinae ordinem adeo approbaverint, quasi nihil melius, aptius, & efficacius ab humano ingenio excogitari potuisset, quo homines a vitiorum illecebris & corruptelis ad honestum vitae morumque studium traducerentur. Verum uti semper ex prudentiae regulis veritatis indagatori est cavendum, ne decipiatur per applausum & iudicium aliquod universale, ita etiam in pertractanda Philosophia Pythagorica sedulo in id potissimum incubui, ut in omnia hujus celebratissimi Philosophi placita accurate inquirerem, eaque ad principia sanioris doctrinae philosophicae examinarem. Cum itaque omnem operam navarem, ut Pythagoras a me quasi intra sindonem nosceretur, laborem omnino non frustraneum sustinuit, sed in hac disquisitione multa vitia didactica disciplinae

A 2

Pytha-

Pythagoricae deprehendi, quae animum plane non ad illorum partes pertrahere potuerunt, qui praecones disciplinae illius plenis buccis agunt, & nescio quid divinum, omnibusque numeris absolutum in ea se invenisse, gloriantur. Ex multis atque variis a me animadversis lubet impraesentiarum solum exempli loco adducere famosissimam illam echemythiam. Proh Dei atque hominum fidem quantis laudibus ea est ab omni aevi doctoribus celebrata, & docentibus discentibusque passim commendata! Sed si ea absque omni praejudicio accurata rationis trutina pensetur, observamus Pythagoram in hoc instituto boni doctoris officio minime functum fuisse, sed suae tantum superbiae atque invidiae consuluisse & haec vitia simul hac sua methodo discipulis instillasse. Quod ut magis palam fiat, constitui, annuente Deo, hoc in praesenti specimine philosophico, ex auctoritate Amplissimi Collegii Philosophici publice proponendo, uberius declarare. Omnem vero rem duabus potissimum sectionibus distincte proponam. Prior erit historica, & exponet strictim ipsum institutum silentii a Pythagora discipulis impositi ex Diogene Laërtio, Jamblicho, Porphyrio, Philostrato, Gellio, aliisque auctoribus, qui hoc descriperunt. Posterior erit Didactico-Critica, & demonstrabit per specialem applicationem omnium membrorum historicorum, quam parum consentiat hoc institutum cum vera & prudenti didactica. DEVS vero, omnis verae sapientiae fons inexhaustus, qui eam ob causam homini pro sua ineffabili benignitate mentis perspicaciam largitus est, ut vera a falsis, bona a malis, ad suam salutem sollicitè distinguat, neque in alterius auctoritate imprudenter acquiescat, & velut servum pecus praeceuntem sequatur, sed ipse rimetur veritatem, sibi que caveat a fuso inflatae sapientiae, & huic conatui meo gratia sua divina adsiret, eumque dirigat ad nominis sui gloriam, veritatis manifestationem, & inde profuens proximi emolumentum!

SECTIO

SECTIO PRIMA HISTORICA
 EXPONENS IPSVM INSTITVTVM SILENTII
 A PYTHAGORA DISCIPVLIS IMPOSITI.

I.



Criptores historiae Philosophicae duplex nobis tradunt silentium a Pythagora omnibus suis discipulis injunctum, unum *temporarium*, alterum *perpetuum*. Vtrumque peculiari voce dicebatur *εχεμυσια*, vid. IAMBlichivs *de vit. Pythag. sect. 94.* quae vox descendit autore HESYCHIO *in Lexic. edit. Schrev. p. 406.* ἀπὸ τῆς ἔχειν ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον σιωπῆ, a continenda in se ipso oratione silentio, conf. Svidas. *Temporarium* erat *εχεμυσια πενταετής*, & imperabatur a Pythagora tyronibus scholam ejus ingredientibus. *Perpetuum* audiebat *εχεμυσια* seu *σιωπῆ παντελής*, & post exactos probationis annos ab omnibus disciplina Pythagorica initiatis strictissime requirebatur. Rariore & nunquam alibi quam apud IAMBL. *sect. 246.* occurrente voce nuncupatur *εχερημωσύνη*, pro qua tamen ob incognitam plane etymologiam Arcerius, Obrechtus, & Kusterus malunt substituere *εχεμυσίαν*. Sed de utraque silentii Pythagorici specie, ejusque differentia, secundum illius naturam, durationem, finem, & universitatem distinctius est agendum.

Duplex
 Echemythia
 temporaria,
 & perpetua,

II.

Quod igitur primo ad *echemythiae temporariae* naturam attinet, consistebat illa non solum in denegata discipulis quarendi & perferutandi facultate, verum etiam proprie in tacendo, sive omnis vocis continentia. Alterum probo ex A. GELLII verbis *N. A. L. I. c. 9.* *Neque percontari, si parum intellexerat, quae audierant, fas erat & ex Aeliani V. H. L. 17. c. VI. non licebat autem in dubium vocare, quae ipse dixisset, neque ultra quicquam interrogare, sed tanquam oraculo ita ejus dictis,*

Temporariae naturae

ii, qui tunc erant, acquiescebant. DIOGENES LAERTIVS in vit. Pyth. L. VIII. segm. 10. scribit: *Silebant, solum quae dicerentur audientes, ac donec probarentur, nunquam Pythagoram videntes.* Hinc etiam illi discipuli dicebantur ἀκροατοὶ, ἀκροματικοὶ, ἀκροαταὶ, *auscultatores.* Alterum adstruo ex APVLEJO, qui lib. II. Florid. in f. vocat discipulos per hoc tempus *elinguēs*, ipsis attribuit *exilium vocis*, ex GELLIO, qui l. c. addit, *eos sermone abstinuissē*, ex LUCIANO, qui in *auctione vitarum* de illis affirmat τὸ λαλεῖν μηδέν, & ex PHILOSTRATO de *vita Apoll. Τυαν.* L. I. c. 15. qui refert, Apollonium per tempus quinquennalis silentii vocem continuissē, & oculorum manuumque motu, tum etiam capitis nutu ad interrogata respondisse; neque etiam eum per gentes Pamphyliæ Ciciliaeque iter facientem locutum esse, neque ut vel mutiret, adduci potuissē.

III.

Duratio.

Perdurabat hoc vocis exilium regulariter & ordinarie per quinquennium, in quo tempore constituendo observavi plerosque autorum veterum convenire. DIOGENES LAERT. l. c. scribit: *πενταετίαν τε ἡσύχαζον.* JAMBlichVS l. c. sect. 12. *μετὰ δὲ τῆτο τοῖς προσιδσι προσεταιτε σιωπὴν πενταετῆ.* PHILOSTRATVS l. c. affirmat de suo Apollonio, eum hanc difficillimam vivendi rationem totis quinque annis exercuissē. A. GELLIVS tamen c. l. tradit nobis exceptionem ab hac regula, dum scribit: *Fuisse quidem Pythagoram omnes discipulos certum tempus tacere: non omnes vero idem, sed aliud aliis tempus pro aestimato captu solertiae, sed non minus quinquam tacuissē, quam biennium.* Sed cum duorum vel trium testium affirmatione comprobetur veritas, ne unius Gellii fide nitamur, en luculentum etiam APVLEJI testimonium in *Florid.* l. c. *Non in totum tamen vocem desuescebant, nec omnes pari tempore elingues magistrum sectabantur, sed gravioribus viris brevi spatio satis videbatur taciturnitas modificata.* Loquaciores enim

enimvero ferme in quinquennium velut in exilium vocis puniebantur. Proinde ex hisce allatis atque inter se collatis testimoniis veterum autorum de duratione primi silentii Pythagorici concludimus, illud pro conditione discipulorum certo tempore circumscriptum fuisse, ita ut non esset infra biennium, non etiam supra quinquennium, & quinquennium non nisi praestantissimis remissum esse.

IV.

Fines praecipui, quos respexerit Pythagoras, in imponendo discipulis temporario silentio, variis ab auctoribus proferruntur, quos omnes ac singulos per quam studiose collegit & digessit JOH. SCHEFFERS in *aureo opusculo de natura & constit. Philos. Ital.* c. XII. p. 119. conf. JOH. SCHILTERVS in *disc. de discipl. Pythag.* §. 31. seq. Ex his primarii ex mente Pythagorae judicandi sunt, qui spectant ad auctoritatem Pythagorae corroborandam, ejusque fastui philosophico alimenta suppeditant; ceteri, quamvis vel ad vitium aliquod amoliendum, vel ad virtutis quendam habitum inducendum comparati videantur, utpote solum prioribus obtentui sumti, pro secundariis habendos esse duco. Sed ut distincte eos cognoscamus, respiciendum nobis ad ea, quae de natura hujus silentii §. I. dicta sunt, & primo expendendum, *quamobrem Pythagoras discipulis omnem potestatem perscrutandi, quaerendi & contradicendi ademerit?* Et secundo, *quamobrem eis plane interdixerit omnem sermonis usum?* Ad prius pertinent illi tres fines: I) Ut auctoritatem inconcussam sibi inter suos in tempore compararet & ante omnia stabiliret suum illud *ἀντις ἔφα*, vid. THEODORETI *locum ex serm. I. ap. Schefferum.* Conf. AELIAN. l. c. & STANLEJ. in *hist. Phil.* p. 706. II) Ut accuratius sui intenderent ad res propositas, & memoriae ardentius studerent; cum enim nec quaerere, nec perscrutari possent, si quae minus recte percepissent, necessitate quadam cogebantur erigere aures, operamque dare, ne verbulum quoddam praeceptoris praeterla-

Finis.

terlaberetur, omniaque audita quam diligentissime memoriae traderentur. vid. JAMBlichVS sect. 94. & PHILOSTRATVS l. c. L. I. c. 14. III) Vt animus partim meditationi adfuesceret, hinc etiam ἐχεμυθεῖν explicant nonnulli per *secum loqui*, partim a sensibilibus aversus sola mente divinum numen intueri disceret. vid. CLEMENS ALEXANDR. lib. V. p. 247. Ad *posterius* vero refero: I.) ut constaret, an ea, quae audiverant, quaeque didicerant, possent apud se custodire, & silentio premere, uti hoc expressis verbis docet JAMBL. sect. 94. & esset proinde echemythia temporaria praeparatio ad perpetuum silentium, qua ita praeunte, eo facilius hoc ab illis observari possit. II.) Vt loquacitatem desuescerent. III.) Vt rebus difficillimis adfuescerent, qualis e. g. erat *tacere*, cujus difficultatem Apulejus hac formula exprimit: verba volantia detractis pennis intra murum candentium dentium premere IV.) Vt animi suorum etiam in perturbationibus maxime essent compositi, neque e. g. ex illis ad illata sibi opprobria exacerbata verborum fulmina erumpant. Hoc modo Apollonius ille Tyanensis, teste praecone suo PHILOSTRATO lib. I. c. 14. in quinquennali illo silentio, multa audiens, quae iracundiam moverent, non audivit, & multos, ut increparet, impetu quodam latus, sibi ipsi ex Homeri Odyss. Y. v. 18.

πίτλαδι δὴ κραδίη τε καὶ γλῶττα.

Sustine cor & lingua.

dixit, verbisque offensus, increpationes tunc omisit.

VI.

Univerſitas.

Vti vero hos fines apud omnes discipulos obtinere Pythagoras cupiebat, ita etiam *omnes ac singulos* ad rigidum hoc silentium observandum adstringebat, neminemque dignum judicabat, qui ab hac δοκιμασία immunis esse deberet. Indicant hoc Jamblichi, Laërtii, Gellii, aliorumque testimonia universaliter prolata, quae nos inducunt, ut firmiter concludamus, nunquam Pythagoram ab hoc suo praeparationis instituto disces-

discessisse, neque ulli concessisse libertatem interrogandi & loquendi in primis tyrociniis annis, licet quibusdam echemythiae quinquennale constitutum spatium peculiari indulgentia immi-
nerit, & ad biennium reduxerit.

VII.

Consideramus *secundo* Echemythiam perpetuam, per omnem vitam ab omnibus discipulis erga omnes, qui sacris ac mysteriis Pythagoraeis non erant initiati, observatam; consistebat ea potissimum *primo* in solertissima rerum ac capitum doctrinae suae coram aliis occultatione, ita ut teste IAMBlichone minimo quidem spiritu proderent doctrinas, quas difficultate summa percepissent ac invenissent. Vberius huius echemythiae rationem exponit idem auctor sect. 226: *Praecipua dogmata, quibus disciplina eorum continebatur, inter arcana sua omnes summo silentio tegebant, ne peregrinis innotescerent, eaque sine scriptura, soli memoriae commissa, ac si Deorum mysteria essent, ad successores transmittabant. Unde etiam evenit, quod nihil eorum commemoratione dignum, in publicum emanavit, quamvis satis longo tempore docerentur, nec deessent, qui discerent, sed id quidem intra privatos parietes: Si vero res ita ferret, ut extranei, & ut ita loquar, profani adessent, per symbola inter se agebant aenigmatum modo: exempli gratia: Ignem gladio ne fodito, & similia, quae nuda phrasi anilibus monitis affinia videntur, explicata vero in admirabilem seriumque usum ab intelligentibus adhiberi possunt.* conf. Sect. 104. Proinde etiam si interdum de suis doctrinis in praesentia aliorum loquerentur, cum non fieret populari vulgoque usitata, sed symbolica dictione, idem respectu exterorum fuit, ac si siluissent, nihil enim alteri intellexerunt ex hac eorum fermocinatione. conf. PORPHYRIUS n. 19. *Secundo* haec se exerebat in averfatione quadam & fuga consuetudinis cum indoctis hominibus, vel omnibus iis, qui non erant Pythagoraei, a quorum alloquiis abhorrebant. Jusserat enim Pythagoras cum solis Pythagoraeis,

Perpetuae
natura.

B

exclu-

exclusis etiam cognatis, dextras jungere, vid. IANBL. *Secl.* 257. Et omnes extra consortium Pythagoricum viventes dicebantur βίβηλοι, ἴσραμοι, ἀπέλεσοι. Ex his itaque patet, quod non solum tempore fuerit distinctum silentium perpetuum a temporario, & ipso silendi modo, quod nimirum in praesentia aliorum non omnem continuerint vocem, & quasi muti & elingues obambulaverint Pythagoraei; verum etiam, quod proprium fuerit illis, qui legitimos discipulatus annos superatis omnibus tentaminibus jam compleverant, & quod eo, non quidem inter se & in suo coetu, sed respectu aliorum, non Pythagoricorum nempe, sive extraneorum, fuerint usi.

¶ III.

Finis.

Cognoscimus adhaec Pythagoram sui perpetui silentii prima specie, occultatione nimirum studiofissima dogmatum, duo potissimum intendisse, I) ut illis majestatem venerationemque divinarum mysteriorum induceret, eaque Orphicis, Aegyptiis, & Eleusiniis sacris initiationibus, quae sanctissimo silentio colebantur, aequipararet, vid. IANBL. *Secl.* 151. & 206. it. *Secl.* 148. ubi expresse dicit: Τα θεία δὲ δόγματα λέγειν, οἷς ἕρη πίστευειν αἰ Πυθαγόρας παρέδωκεν. II) Ne plebejis & profanis fraudulentae illae artes & praestigiae magicae, quibus inclarescere, vulgique admirationem in se concitare, quis poterat, innotescerent. Recensentur illae ex omnibus antiquis autoribus conquisitae a STANLEIO in *Hist. Phil.* p. 686. conf. COEL. RHODIGINVS *A. L. lib. IX. c. 23.* Fugam vero familiaritatis cum extraneis & plebejis eas ob causas videtur discipulis imperasse, I) ut firmiter sibi persuaderent solos Pythagoraeos imbibisse sapientiae praecepta, & extra hanc disciplinam nulla verae sapientiae vestigia occurrere. Elucescit hoc ex his NICOMACHI GERASINI *Lib. I. Arith.* verbis: *Cum ante Pythagoram omnes promiscue dicerentur sapientes communi nomine, etiam architecti, & gubernatores, & qui unque scirent artem aliquam, aut populare officium, Pythagoras omnibus his id nomen nega-*

negavit. Si enim licitum fuisset Pythagoraeis adire circulos, frequentare tabernas, familiariter vivere cum plebeis, saepe animadvertere potuissent, non Pythagoram solum excellere religione, doctrina, temperantia, animi firmitudine, neque harum aliarumque virtutum praeceptis solam Pythagorae scholam resonare, sed ea etiam alibi obvia esse, & a multis inculcari, & exerceri, vel a continentissimo quodam hortulano Abdolomino. II) Ne ex colloquiis & consuetudine familiari cum extraneis dignitatis Pythagoraeae contemptus nasceretur, sed potius ipsam continua reverentia prosequantur idiotae.

SECTIO SECUNDA DIDACTICO- CRITICA

DEMONSTRANS

QUANTVM PAEDANTISMVM REDOLEAT ECHEMYTHIA PYTHAGORICA.

I.

CVM in eo nunc sumus, ut absoluta historica tractatione Echemythiae Pythagoricae ostendamus, quod hoc institutum per omnia redoleat Paedantismum; necesse est, ut paucis antea declarem, quale vitium per hoc vocabulum intelligamus. *Paedantismus* igitur nobis est cum VLR. HVBERO in peculiari oratione de hoc argumento: *doctrina fastu, virtute ficta, ineptoque iudicio corrupta.* Nostrium vero nunc non est prolixè expendere omnes vel nominales vel reales hujus vocis subtilitates, quas si quis perscrutari cupit, evolvat OCT. FERRARIJ *Orig. Ling. Ital.* p. 226. AEG. MENAGII *Orig. Lingu. Franc. h. v.* PETRI RICHELET *Dict. Franc.* P. II. p. 126. EDM. RICHERII *Obstr. anim. c. II. §. 3.* de HEERE *Conferences Academiqu. disc. IX. p. 301.* AVTORIS *Philosoph. princip. Paedantismo oppos. proleg.* Sed potius latius deducamus per specialem applicationem singulorum membro-

Quid
Paedantis-
mus.

rum historicorum echemythiam Pythagoricam fuisse ejusmodi doctrinae institutum, fastu, virtute ficta, ineptoque judicio maxime corruptum. Hoc pacto patebit, quam parum illud conveniat cum regulis bonae didacticae.

11.

Occurrit
ille in dene-
gata inter-
rogatione,

Dictum fuit in *§. I.* echemythiam temporariam primo ad-
emisse tyronibus Pythagoricis quaerendi & perscrutandi facul-
tatem. Sed quam ineptum judicium ratione excolendae eru-
ditionis in hoc instituto occurrit? Aures praebere debet disci-
pulus praeceptorum, quidvis ipsi proponenti, rerumque uberio-
rem explicationem non efflagitare, si forte mentem illius non
recte perceperit, aut quaedam ipsi obscuriora adhuc visa sint.
Quid inhumanius? quam reprimere quaerendi cupiditatem,
quae cum sciendi desiderio est innata, & ad veritatis investigatio-
nem maxime necessaria, ac simul praecludere media discendi, se
ab omnibus dubitationibus liberandi, & obscuriora intelligendi.
Est tale institutum contra naturalem docendi & discendi
modum, quem vetusti Ebraici & Graeci doctores in philoso-
phando adhibuerunt, quorum constans & cum maxima discipu-
lorum conjuncta utilitate methodus fuit, ad interrogationes
discipulorum respondere; ita toties apud LAERTIVM in vi-
tis philosophorum occurrit: *ἠρώτησε τις αὐτὸν ἐφη.* TAVRVS
apud GELLIVM *N. A. L. I. c. 26.* dedit saepe post quotidianas
lectiones quaerendi, quod quis vellet, potestatem. De Christo
Servatore scribit Lucas II. *invenerunt illum in templo sedentem
in medio doctorum audientem & interrogantem eos.* vid. SCHEF-
FERVS *p. 117.* & SIGONIVS *de Dialogo.* Sed obijciunt nobis Py-
thagorissantes magnam auditionis utilitatem a PLVTARCHO
T. II. Opp. p. 37. peculiari tractatu expositam, in quo inter alia
dicit *p. 39: Sicut equos, qui recte instituunt, eos docent freno
facile parere, ita qui pueros ad audiendum promptos faciunt, do-
centque audire multa, loqui pauca. It. Naturam, ajunt, pro-
pterea unicuique nostrum duas dedisse aures, unam linguam,*
quod

quod pauciora loqui debeamus, quam audire. Proinde cum utique silentium adolescenti sit ornamentum, maxime tum prodest cum audiens dicentem non perturbat, neque ad singula elatrat &c. It. p. 42. Invitatus ad auditionem audiat tacite dicentem, qui enim ad alia argumenta deducunt, aut interrogationes interjiciunt, aut dubitationes movent, importuni auditores, & quibus cum dicente non facile conveniant, nullam capiunt auditionis utilitatem. Verum immodestas & intempestivas juvenum interrogationes etiam cum Plutarcho reprehendimus, tempestivas vero & modeste prolatas omni modo sunt approbandae, quoniam produnt sciendi cupiditatem laudabilem; quae vero doctoris circa eas sit prudentia praeclare ostendit IOH. LOCKIUS in consilio de educat. liber. §. 108. & 118. Haec summi viri monita attente perfecta adhuc magis arguunt Pythagoram Paedantismi.

III.

Excutiamus alteram echemythiae temporariae speciem, quae ne vocem etiam ullam emittere discipulis permittit, laborat ea pariter maxime insigni ineptitudine iudicii quoad praxin vitae communis. Prima in homine peritia est loquendi, quae statim ex ratione tanquam ex fonte profluit, uti IOH. LVD. VIVES lib. III. de tradend. discipl. p. 462 loquitur. Est enim sermo societatis humanae instrumentum; Ac quemadmodum mentem munere habemus Dei, sic etiam loqui naturale est nobis. Itaque & domi a parentibus, & in schola a praecptora danda est opera, ut patriam linguam pueri bene pronuncient, quantumque aetas illa patitur, sint facundi. Hoc naturali munere, ex quo praestantia & perfectio hominis maxime constat, hoc necessario societatis humanae instrumento discipulos ad tempus spoliare, nonne est Paedantismus? Quis unquam sapiens molitus est ex hominibus statuas facere? Sed hoc effecit omnimodum silentium Pythagoricum, uti recte hanc ob causam Pythagoram perstrinxit LVCIANVS in vit. auct. in qua

In omni-
modo silen-
tio.

mercator ex Pythagora quaerit, *quis post ἀόριστον futurus sit communefaciendi modus* & Pythagoras dicit: *primum quidem longa quies, & taciturnitas, & quinquennale silentium.* Mercator vero respondet: *Ergo, bone vir, tibi Crassi filius est erudiendus, ego enim loquax non statua esse volo.* Revocas vero nobis in memoriam, Pythagorista, Pythagoracos variis externis gestibus, & manuum & capitis rationabili quodam motu animi sui sensus aperuisse; & has etiam gesticulationes improbamus. Pantomimos decent loquacissimae manus, linguosi digiti, secundum CASSIODORVM *Var. IV. 15.* Homo liberalis & civilis non utitur nutu pro sermone, manu pro ore, digitis pro voce. Difficile quoque est deinde histrionicos ejusmodi gestus, qui nos omnibus deridendos propinant, desuescere. Praeterea hoc est belluinos induere mores, siquidem videmus animalia ἀόριστα significare quibusdam signis ea, quae volunt. Boni vero magistri est providere, ut discipuli sensa animi integra & apta oratione, atque verborum & formularum varietate & copia expromant, eosque incendere ad honestam & ingenuam *ἠπιότητα*, ne pudore agresti & timore inconsulto praepediti, velut *μυρόψυχοι*, lucem & conspectum hominum, instar periculi certissimi evitent; vid. EDM. RICHERIVS *in Obstetricae animor. c. IV. §. 5.* Haec omnia per echemythiam fuerunt neglecta, quae potius effecit, ut discipuli nec hircere, aut verbum aliquod mutire auderent, quod certe homine ad civilem vitam excolendam progenito, indignum est. Taceo hac ratione etiam uberrimos fructus, discipulis interceptos fuisse, qui ex concertatione literaria, ex recitatione, ex consuetudine & familiaritate cum aliis praestantioribus hominibus in eos redundant. vid. GVIL. MECHOVIVS *in Hermathene Tr. II. c. 10. 25. & 26.* EDM. RICHERIVS *in obstetr. anim. c. VII. n. 1. & 3.*

IV.

In duratio-
ne.

Porro duratio illa quinquennis vel biennis echemythiae in-

ingnem manifestat iudicii ineptitudinem iterum in comparanda eruditione. QUINTILIANVS, idoneus ille ingeniorum existimator, sedulo monet, *L. l. c. 1. Instit. cavendum esse, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel perceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit, & rogetur, & laudetur, & nonnunquam scripsisse se gaudeat. Quis sibi persuadebit, quod tam diuturna ἀφωγία, suavitate & jucunditate se commendaverit. Probabile potius est, eam sua molestia omnem doctrinam plane ingrati reddidisse juvenibus & horrorem potius quam amorem literarum in animis eorum excitasse. Profecto ita est, uti excellentissimus BVD-DEVS in exercit. de cultura ingenii c. l. §. 12. scribit: *Philosophia grata parum nec speciosa dea est, itaque emollienda est, ne primo statim aspectu deterreat homines, atque fuget. Nec nefas fuerit demulcere animos, & voluntate honesta perfundere, cum simul illorum salus felicitasque sapientiae illis proponendo praecepta, promoveatur.* Praeterea ineptitudo iudicii est, credere, quod ad garrulitatem compescendam certis annis definitum silentium sufficiat. Nam laxa quæso post biennium vel quinquennium linguae garrulae frena, & nisi forte alias simul adhibuisti intellectus & voluntatis corruptae emendationes, eadem aderit volubilitas & promptitudo quævis temere effutiendi, adeo ut vel decennale silentium in reprimenda loquacitate sit inefficax.*

V.

Respiciamus fines echemythiae, occurrunt nobis maxime In finibus & quidem in paroemia: Ipse dixit. notabilia Paedantismi argumenta. I) Intolerabilem fastum praesefert arrogantissimum illud ἀὐτῶν ἔφα antiquis etiam valde exosum. CICERO *Lib. 1. de N. D.* illud maximopere improbat & damna ex eo profluentia his verbis indicat: *Obest plerumque iis, qui discere volunt auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desunt enim suum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant iudicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoricis accepimus, quas ferunt, si quid*

si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret autoritas. VALERIVS MAX. cum L. VIII. c. 15. retulisset tantam venerationem Pythagorae ab auditoribus tributam esse, ut quae ab eo accepissent, in disputationem deducere nefas existimassent, quin etiam interpellatos ad reddendam causam hoc solum respondisse, *Ipsam dixisse*, concludit narrationem hoc falso epiphonemate: *Magnus honos schola tenus.* Sed objicit nobis primo Pythagorista, teste SVIDA Pythagoram hanc formulam *ipse dixit*, non de se, sed de Deo usum esse, eumque indicare ea adhibita voluisse, hanc sententiam, quam proferret, non esse suam, sed Dei voluntatem. Factum vero esse, ut inimicorum livore optime dictum in pravum sensum sit perversum, & ad posteros transmissum. Verum nisi ex consensu omnium veterum Autorum constaret ipsum Pythagoram affectasse divinitatem, adeoque hunc fuisse Deum, ad quem provocavit, ejusque discipulos pertinacissime ejus auctoritati adhaesisse Svidae expositio apud nos fidem haberet. Sane IAMBLICHVS c. XVIII. affirmat discipulos Pythagoram suppresso nomine appellasse *ἐκείνον αὐτῆς*, & c. X. neminem illum suo nomine sed *θεῶν* omnes vocasse. Et DIOG. LAERTIVS L. VIII. *serm. 14.* dicit, adeo Pythagoram admirationi omnibus fuisse, ut dicta ejus familiares dicerent *παιρὸς θεῶν Φωκῆς*. Quibus adjungamus PHILOSTRATVM *in vit. Apoll. L. I. c. I.* qui tradit, quicquid à Pythagora prolatum esset, id tanquam legem ab ejus discipulis observari consuevisse, ipsum tanquam a Iove profectum, veneratos fuisse. Quis itaque fuit ille IPSE in illaudabili hac parœmia, nonne Pythagoras Dei majestatem abominabili fastu usurpans, discipulosque sibi per commendatum auctoritatis praejudicium mancipans? Deinde nobis ulterius instat Pythagorista, & urget, ut expendamus PHILONIS illud *lib. de praem. & poen.* dictum: *Discipulum oportet Doctori credere*

de

de his, quae docetur, alioquin difficile, imo impossibile est, non credentem erudiri; & quod Plato duas scientiarum omnium pestes dixerit, *Oblivionem & incredulitatem*, ideoque prolatum illud, *Ipse dixit*, in Pythagora non vituperemus, cum etiam ex Philosophorum consensu fides docentibus a discentibus sit habenda. Sed respondemus, 1) docentibus a discentibus utique fidem esse habendam, sed non ob propriam eorum autoritatem, sed ob rerum, quas proferunt, gravissima momenta, ita ut non quis, sed quid dicat, attendant. 2) Concedimus esse suam etiam studii infantiam, adeoque decere sapientiae tyronem verecundam demissionem, ne similis sit catello, qui ut corium, ita ille doctorum effata immatura virium contentione allatret, ut videatur aliquid sapere. Sed uti infantia non per omnem vitam perdurat, ita etiam nemo doctorum, praeter Pythagoram ad continuam autoritatis suae, idoneis rerum rationibus destituta, venerationem discipulos adstringit, sed potius inculcat, & nervos & artus esse sapientiae non temere etiam Praeceptoribus credere, nisi adsint exacta *veritatis*.

VI.

II) Quod ad ceteros fines attinet, qui laudabili quodam conatu Pythagorae in emendandis discipulis superbi-
re videntur, quoniam illis praetexit primarium suae discipli-
nae scopum, conciliationem nimirum summae autoritatis,
quae ita nude absque tegumento asserta, intolerabilis & invisa
fuisse, merito pro secundariis finibus sunt habendi, adeoque
generatim arguunt fictam virtutem. Praeterea si speciatim
singulos expendamus, in omnibus fere inepritudinem iudicii
latere animadvertimus. Primo enim silentium non valet ex
asse adjuvare attentionem nostram, sed majori cum cura diri-
gimus facultatem cognoscendi ad objectum percipiendum, si
nobis liceat per aliquot quaestiones illud nobis notius reddere,
ejusque veram constitutionem explorare. 2) Neque silen-

In ceteris
finibus.

C

tium

eium sufficit ad corroborandam memoriã , quae creberrima potius recitatione excolitur. Et si adeo memoriae studuit Pythagoras, quare discipulos interdixit scriptione, cum memoriae fragilis gratia literae & scripturae inventae sint? 3) Nemo quidem ignorat, quam garrula semper & loquax sit juvenus, & quod ea a sermonis futilitate maximis minis sit dehortanda; Verum extremo ejusmodi & maxime contrario remedio hoc vitium depellere stultorum est, non sapientum; idem esset ac si gulositatem per inediam, vagabundos oculos per occœcationem, vitiosum incessum, per quinquennem sive staum, sive sessionem & accubationem corrigere voluisset. Sed audiamus APVLEIVM *lib. III. Florid. p. 24.* his verbis hanc stultam methodum exprobrantem: *Vox cohibita silentio perpeti non magis usu fuerit, quam nares gravedine oppletae, aures spiritu obseratae, oculi albugine obducti. Quod si manus manicis restringantur? quid si pedes pedicis coarctentur? &c. Profecto ut gladius usu splendescit, situ rubiginat, ita vox in vagina silentii condita diutino torpore hebetatur, desuetudo omnibus pigritiam, pigritia veterum parit.* Nonne aptis legibus futilem linguam discipulorum cohibere potuisset, quae simul tempestivi sermonis rationes exposuissent, & quae tacenda, quaeve proferenda ipsis essent, admonuissent? Et quomodo injecta ori vincula, affectus animi vinciant, & maculas omnes deleant? Aliter iudicat PLVTARCHVS *lib. de utilit. ex inim. Lingua rationi subiecti, & morigera fieri non potest, nisi quis multo studio & industria pessimos affectus, qualis est ira devicerit.* vid. IACOBVS SCHALLERVS *in Ethica Pythagor. §. 8.* III) Curare, ut juvenes adsuecant duris rebus, non est improbandum; verum initium facere a rebus difficillimis, qualis erat echemythia, iterum arguit ineptitudinem iudicii. Silentium enim illud erat πάντων χαλεπώτατον teste Jamblichō. Qui se in oneribus maximis sustinendis exercent, hos non statim sub molé centenarii pon-

ponderis incurvatos videmus, sed eos experimenta bajulationis facere in aliquot libris perferendis, & sensim sensimque multiplicatis, atque ita robur quasvis grandiores moles in humeros recipiendi acquirere. Hi ergo sapientiores videntur ipso sapientissimo Pythagora, varios errores didacticos hac ratione committente.

VII.

Jussit Pythagoras omnes ac singulos, qui se ejus fidei committebant, vel per quinquennium, vel per biennium tacere, & neminem unquam, excepto Abaride sene, hac echemythiae lege solvit. Quae universitas demonstrat ineptitudinem iudicii in neglecto perneccessario discrimine ingeniorum, a bono didactico diligenter observando. Quot dantur ingenia timida, infacunda, & natura quasi muta, quorum naturam biennale impositum silentium ita confirmabit in vitiosa taciturnitate, ut illam nullis deinceps remediis expugnare possis. Alia disciplina meticulous & elinguis, alia blateronibus & linguaculis est adhibenda, si paedantismi vitium evitare velis.

In Univer-
sitate.

VIII.

Supereft, ut in echemythia perpetua latentia etiam paedantismi vitia detegamus. Occurrit itaque inprimis ineptum iudicium in ipsa tam sedulo perfecta occultatione omnium dogmatum Pythagoricorum. Quaecunque enim praecepta ducunt ad divinam similitudinem, illa potius omnibus sunt communicanda & commendanda. SIRACIDES in ecclesiastico c. XXX, 18. dicit: *Bona abscondita in ore clauso esse, quasi appositiones epularum circumpositas sepulchro.* Longe praeclarius Pythagora sentit SENECA ep. 37. inquit: *Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam.* Nec oratio symbolica vitio ac culpa caret. In eam plus laboris & temporis impendendum est, ut verba intelligas, quam ut res verbis denotatas percipias, cum in his vitae angustiis & naturae obscuritate sat rerum sit, quibus enucleandis tempus infumatur,

In occulta-
tione per-
petua do-
ctrinae.

tur, ut adeo pessimum sit, res obscuras obscuritate verborum obscuriores reddere. Qui veritatem abscondit, paratius quoque ad errorem, & molestius ad veritatem, praebet iter. vid. SCHALLERVS *l. c. §. 5.* Proinde merito consultissimus HVBERTVS *in orat. de paedantismo*, omnes illos, qui id agunt, ut involucribus formularum terminorumque scholae, quasi aenigmatibus, cognitiones rerum implicent atque tegant, ne populo scilicet innotescant, paedantismi absolvere non potest. Bene quoque observat clarissimus IO. IACOBVS SYRBIVS *in historica in Physic. Pythag. introduct. §. 14.* symbolica illa docendi ratione duo potissimum incommoda sibi sectam Pythagoraeam attraxisse, nugacitatis suspicionem & interitum. Nam Pythagorica dogmata portentosa & nugis plena iis visa sunt maxime, qui dum, quid sibi vellent symbola illa, exputare non poterant, proprio & literali sensu ea acceperunt, & perstrinxerunt Pythagoram e. gr. ob interdictum fabarum, carniū, piscium, cordisque usum. Praeterea cum ita geminum & sub symbolorum integumentis absconditum placitorum Pythagoricorum sensum perpauca assequerentur, demum plane fuerunt neglecta.

IX.

In fuga
conversa-
tionis cum
extraneis.

Fuga conversationis cum extraneis virtute segregationis a profanis & vitiis inquinatis incrustatur, ne sumantur a conversantibus mores, & animus mala sua proximis tradat, secundum SENECAM *L. III. de Ira c. 7.* Sed latet sub hoc praetextu insignis fastus, quo alios contemnit & suis alloquiis indignos iudicavit Pythagoras, non ob aliam causam, quam quod ab eius disciplina essent alieni, quod abjectissimae appellationes illae, quibus extraneos dehonefavit, satis superque indicant. Repugnat hic paedantismus humanitati inprimis decenti Philosophum, & officio de naturali personarum aequalitate observando. Adhuc uti indoctorum hominum opera Reipublicae

cae necessaria admodum est, ita qui ea defunguntur, sua quoque laude non sunt defraudandi, vid. BVDDEVS *in exercit. de Cultura ingenii c. II. §. 12.* In magna enim domo non tantum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea, & alia quidem ad decus, alia ad dedecus. 2. *Tim. II. 20.* Boni proinde magistri est discipulos instituere, ut comes sint, benigni, faciles & suaves erga quosvis indoctos homines. Talis enim severitas fastuosa, & misanthropia Pythagorica suis tetricis moribus imminuit doctrinae pretium in animis plebejorum & immane odium ejus cultoribus conciliat. SENECA ideo scholam Pythagoricam *invidiosam* dixit *L. VII. Q. N. c. ult.* & SCHEFFERVS cum *l. c. c. XV.* inquit in causas, quare haec secta tam parvo tempore, annis nempe circiter ducentis tantum atque quinquaginta floruerit, tamque penitus desierit, omnibus collegiis illius domiciliisque per universam illam magnam Graeciam paucos intra annos vel incensis, vel alia ratione everfis, orta ingenti omnium adversus eam seditione, animadvertit homines ad hanc seditionem commotos fuisse, primum quia haec secta ob asperitatem morum, & doctrinae, vitae, habitusq; singularem differentiam, omnibus fuerit suspecta & invisâ, 2) quia gravitate quadam singulari ac exsuperante conditionem humanam illos offenderit. Quod si itaque Pythagoras suis injunxisset, ut, erga quosvis homines, communi cognationis sensu tacti, & benevole affecti, iis cum verbis, tum factis utiliter & honeste placere studerent, neque ab eorum conversatione plane abhorrerent, nomen dignitasque eorum diutius perdurasset.

X.

Fines denique perpetuae echemythiae sequentia paedantismi vitia culpanda asserunt: 1) Nemo unquam sapiens sapientissimis suis dictis speciem quandam divinitatis comparare studet, easque instar divinorum oraculorum haberi cupit, sed

In ipse
finibus.

humanae imbecillitatis memor, si quid excogitaverit, quod aliquem usum & emendationem vitae humanae afferre possit, illud potius decenti modestia omnium disquisitioni subijcit, utpote doctrinam ab homine profectam, qui errare & labi, & in maxima etiam veritatis luce cœcutire possit. Stolido itaque fastu affectavit Pythagoras, ut qui Deorum sacris exhiberetur silentii cultus, ille idem obtingeret suae disciplinae. II) Non est viri probi & sinceri per imposturas & praestigias aucupare gloriam & admirationem, hoc vero fecisse Pythagoram his verbis innuit PLVTARCHVS *in vit. Numae*: *Numa exteriorem speciem quoque & personam eandem ac Pythagoras mente dicitur, petisse. Fertur ille ita mansuefecisse aquilam, ut certis vocibus sisteret, & devocaret supervolantem. Iam in conventu Olympiaco transeuntem femur aureum protulisse, aliasque commemorant monstrificas ejus artes & facta. Quare scripsit Timon Pbiliasus:*

Πυθαγόρην δὲ γόητα ἀποκλίνοντ' ἐπὶ δόξας,
 ἢ ἔρη ἐπ' ἀνθρώπων, σεμνηγορίας ὀαρεσίην.

*Pythagoram technis captantem nominis auram
 Vita & mulcentem blandis sermonibus aures.*

Conferatur HERMIPPI narratio ap. DIOG. LAERTIVS *L. VIII. serm. 41.* conf. GABR. NAVDAEVS *in apologia vi-
 vor. magnorum magiae suspecti. c. X.* qui imposturas Mahometis, cum fallaciis Pythagorae accurate contulit, vanaeque & callidae ostentationis & fraudis eum reum egit. III) Ec quis demum hic est paedantici fastus insignis character arrogare sibi soli possessionem sapientiae, aliosque velut desipientes despiciere, qui non iisdem literarum studiis sunt instructi. Theophrastus Paracelsus alicubi confessus est se multum sapientiae Cingarum, erronibus, circumforaneis, mulierculis, militibus rusticis, debere. Quo exemplo permotus commen-
 dat

dat Cl. EPHRAIM. GERHARDVS *in delineat. Philosoph. rat. c. V. §. 12.* conversationem communem cum omnis generis hominibus, quibus omnibus saepissime cum magno fructu uti possit sapientiae studiosus, siquidem etiam aliquando rusticus homo verissimae sapientiae semina spargere possit, quae nunquam contemnenda, praecipue in rebus ad experientiam physicam pertinentibus. Referre huc non incommode possunt, quae LVCIANVS fingit *in necyomantia*. Nimirum introducit Menippum, qui postquam Philosophos rogaverat, ut vitae viam aliquam simplicem, & certam monstrarent, & alius illum voluptati operam dare iusserat, alius labori incumbere, alius pecunias contemnere &c. ipse tamen semper cum multis & sapientibus & celeberrimis viris inspiens fuerat, & veri ignarus oberrarat, tandem in infernum descendit, & ibi Tiresiam Thebanum, sapientem & vatem, de vera vita consuluit; qui ipsi aegre & sub religione silentii leniter ad aurem inclinans respondit: ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἀρετῆς καὶ σωφρονέστερος, eumque iussit a vanissima rerum sublimium speculatione desistere. Sed concedamus Pythagorae idiotas esse stultos, numne ideo sunt fugiendi? Firmis rationibus illustris CHRISTIANVS THOMASIVS *in prudentia consultat. c. V. & in P. I. cautel. c. 1. §. 88.* separationem omnimodam ab insipientibus potius ad fructus stultitiae, quam sapientiae retulit. Sive enim insipientes consideramus, incumbit sapienti, ut insipientes ad sapientiam ducat, aut etiam aliis modis eorum miseriae subveniat, quod sine quotidiana conversatione cum iis facere nequit: sive ipsum sapientem respiciamus, quantacunque is polleat sapientia, tamen homo est, i. e. creatura opis saepe, etiam stultorum indigens. Nonne ipse Pythagoras idiota & stultus aliquando fuit? Si igitur sapientes ab ejus familiaritate abhorruissent, eique iter sapientiae non indicassent, nunquam ille illud sapientiae culmen attigisset. Sed hic ob temporis & chartae angustiam abrumpendum.


dum. Liceat ad ultimum AMBROSIVM in consortium no-
 strum assumere, ne soli videamur improbasse silentium Pytha-
 goricum. Ita vero L. I. Offic. c. 10. illud divus praesul repre-
 hendit: *Lex Pythagorica per quinquennium usum loquendi in-
 hibendo imminuit naturale munus. Quomodo enim sine e-
 xercitio doctrina, aut sine usu profectus? Qui disciplinam
 bellicam vult assequi, quotidie exercitatur armis, & tan-
 quam in procinctu positus praeludit praelium, & velut coram po-
 sito praetendit hoste: atque ad peritiam viresque jaculandi, vel
 suos explorat lacertos, vel adversariorum declinat ictus, & vi-
 gilanti excipit obtutu. Qui navim in mari regere gubernacu-
 lis studet, vel remis ducere, prius in fluvio praeludit: Qui ca-
 nendi suavitatem & vocis affectant praestantiam, prius sensim
 canendo vocem excitant: Et qui viribus corporis legitimoque
 luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palaestra du-
 rantes membra, nutriendae patientiam, labori assuescant. Nec
 non ipsa natura nos in parvulis docet, quod prius sonos meditan-
 tur loquendi, ut loqui discant. Itaque sonus, exercitatio quae-
 dam & palaestra vocis est. Ita ergo qui volunt discere cautio-
 nem loquendi, quod naturae est, non negent, quod custodiae est,
 exerceant: ut qui in specula sunt, specularando intendant, non
 dormiendo. Omnis enim res propriis ac domesticis exercitiis au-
 getur. Ergo David tacebat, non semper, sed pro tempore: non
 jugiter, neque omnibus, sed irritanti adversario, provocanti pec-
 catori non respondebat. Et sicut alibi ait: Loquentes vanita-
 tem & cogitantes dolum non audiebat quasi surdus, & quasi
 mutus non aperiebat illis os suum. Itaque etiam ab aliis ante nos
 hoc echemythiae institutum fuit acri censura notatum, quod
 utique ita fuit comparatum, ut Pythagoras non eximendus
 sit ex serie illorum, de quibus Paulus Apostolus scribit ad*

Rom. II. 21.

Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωραίνθησαν.

S. D. G.

x2373826



Q. N. 524, 13.

Q. D. B. V. B. m. II 472.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOSOPHICA

DE

PAEDANTISMO DIDACTICO
PYTHAGORAE
RATIONE SILENTII

QVAM

EX DECRETO

AMPLISSIMI

PHILOSOPHORVM ORDINIS
MODERATORE

IO. DAVIDE KOELERO

LOG. ET POLIT. P. P. ET VNIVERSITATIS
BIBLIOTHECARIO

PRAECEPTORE SVO MAXIMOPERE VENERANDO
PRO

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS

D. XXV. JUN. ANNO MDCCXIV.

PVBLICE DEFENDET

GEORG. FRIDERICVS DEINLINVS
ALTORFIVS.

ALTORFII

EX TYPOGRAPHEO MAGNI DANIELIS MEYERLI

BIBLIOTHECA
POLICKAVIANA

